



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

8. An in iuramento assertorio detur parvitas materiae, & quid in  
promissorio? Ex p. 5. tr. 5. r. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

## RESOL. VI.

*An iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali sit iuramentum veniale?*

*Idem est de voto: quia votum de peccato veniali est tantum peccatum veniale, quia paruitas materia excusat.*  
Ex p. 4. tr. 4. & Milc. Ref. 160.

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Turrianus in *sele. disp. cent. 3. censura Theolog. dub. 3.* Affirmatiuam sententiam aliqui putant improbabilem, quia si adducitur Deus ut fidei iussor peccati faciendi, grauis iniuria illi inferatur, contra summam bonitatem illius, quæ ratio efficacissima est contra illam opinionem, neque video pro illa opinione aliquod idoneum fundamentum, vnde mihi non est probabilis. Ita ille.

2. Verum ego puto affirmatiuam sententiam esse probabilissimam, quam tuetur Valentia & Azorius, quos citat & sequitur Adamus Tannerus in 2. 2. *D. Thom. disp. 5. qu. 5. dub. 1. num. 14.* vbi sic ait, Certum est iuramentum se aliquid facturum quod est mortale, peccare mortaliter, etiam contra Religionem, per abutum iuramenti, venialiter autem si fuit veniale quod cum proposito implendi iurauit, vt habet communis opinio. Ita ille, & ante illum Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 28.* qui citat Suarez, Sylvestrum, Caietanum, Nauarum, Sayrum & alios, quibus ego addo Villalobos in *summa tom. 2. tract. 46. difficult. 4. num. 4.* & Sotum de *iust. lib. 7. qu. 1. art. 3.* vnde miror communem hanc opinionem Turrianum vocare improbabilem, & ad suum argumentum respondet Sotus & alij vbi supra; hinc cum Lessio *lib. 2. cap. 40. dub. 7. numer. 39.* & aliis dicendum est, votum de peccato veniale esse tantum peccatum veniale, quia paruitas materia excusat.

## RESOL. VII.

*An detur paruitas materia in iuramento promissorio, ita vt aliquando sit tantum peccatum veniale illius transgressio?* Ex part. 4. tract. 4. & Milc. Ref. 70.

Sup. hoc in ref. seq. ante medium, vers. Imo, & infra in ref. 12. etiam ad medium §. 1.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Arnilla *ver. iurare, num. 12.* Medina in *instru. Sacerd. lib. 1. cap. 14. §. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 5. n. 23.* Valentia *tom. 3. disp. 6. qu. 7. n. 3. concl. 3.* & alij asserentes omnem peritium promissorium esse peccatum mortale, neque ob materia leuitatem fieri posse veniale, quia qui rei parua promissionem quam iuramento confirmant non implet, is quantum in se est facit Deum testem falsi: hoc autem est peccatum mortale, cum sit magna in Deum irreuerentia; ergo, &c.

2. Alij verò, vt Caietanus in 2. 2. *qu. 89. art. 7.* & Couarr. *lib. 1. variat. cap. 1. num. 2.* distinguunt, asserunt enim quod quando res parua est tota materia promissionis, tunc violatio iuramenti est peccatum mortale; secus si solum sit pars materiae, nam tunc erit tantum veniale.

3. Omnes istæ sententiæ sunt probabiles, sed non minus probabilem illam esse existimo, quæ absolute & generatim asserit, si res promissa sit parua, siue ea sit tota materia, siue pars tantum, non fore transgressionem, nisi venialem. Ita Sotus de *iust. lib. 8. qu. 1. art. 7. & qu. 2. art. 3.* D. Antonin. *part. 2. disp. 10. cap. 4. §. 1.* Coninch de *Sacram. disp. 22. dub. 7. num. 53.* Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 23.* Suarez *lib. 3. c. 16.* & alij. Et ratio est clara, quia si violatio voti

Alibi in Ref. quæ hic est

vt alibi satis probatum est; ergo etiam violatio iura-

menti promissorii circa similem materiam, quæ, vt dicitur in *Th. 2. 2. q. 89. a. 8.* obligatio voti maior est quam obligatio iuramenti; cæteras rationes videbis quæ citatas Doctores, & ita hanc sententiam præter alios tenet Io. de la Cruz in *direct. conscient. tom. 1. præf. 1. art. 1. dub. 3. concl. 1.* Bizzozzerus in *summ. part. 3. pr. 2. c. 1. membr. 3. n. 5.* Syluius in 2. 2. *D. Th. qu. 98. art. 1. concl. 4.* Malderus in 2. 2. *tr. 10. c. 6. dub. 5.* Dauid ad Mauden. in *Decal. pr. 2. discurs. 4. n. 3.* Tannerus in 2. 2. *disp. 7. qu. 1. dub. 1. n. 25.* Io. Franc. Suarez in 2. 2. *disp. 7. qu. 1. lib. 3. ver. Iuramentum §. 8.* Villalobos in *sum. tom. 2. tract. 36. diff. 5. num. 9.* vbi sic infert, [De lo dicho se infiere que el que juro de rezar todo vn año vnã Ave Maria y lo dexo todo el año no peccó mortalmente aun en el fin del año.] Idem asserit Layman in *Theol. mor. lib. 4. tr. 3. c. 14. n. 6.* de illo, qui iurauit cum socio animi causa rus iturum, vel pater si iurauerit se puerum ita meritum castigaturum, & postea sine causa intermitat, nam putat supradictos peccare quantum non mortaliter ob materia leuitatem, & ideo Villalobos vbi supra recte asserit, quod si opinio contraria esset vera, [figurialia que todas las madres y amas que crian los niños cometerian muchos pecados mortales, que enojandose con ellos iuran por momentos, que los han de azorar y no lo hazen.] & sic dicendum est etiam in similibus casibus, vt si quis iurauit dare pauperi quadrantem, &c.

## RESOL. VIII.

*An in iuramento assertorio detur paruitas materia, & quid in promissorio?* Ex part. 5. tr. 5. Ref. 45.

§. 1. **N**egatiuè respondet Sanctarellus *tr. de blasphem. cap. 4. dub. 2. num. 8.* vbi sic ait, Iuramentum falsum assertorium non potest esse peccatum veniale ratione materiae, cum adducatur Deus in testem falsitatis. Ita ille, cui adde Merollam *tom. 1. disp. 2. con. 4. dub. 7. num. 11.* Baldellum *tom. 1. lib. 3. disp. 14. num. 12.* Homobonum in *consult. moral. volum. 2. part. 5. ref. 139.* Faulum de *Sacrament. Penit. lib. 7. qu. 56.* Mledum *tract. de sigillo Confessi. c. 3.* Alphontum de Leone de *offic. Confessi. part. 1. recoll. 7. num. 33.* Eacobar de *pur. & nobil. prob. part. 1. quest. 10. §. 4. num. 44.* Molfesum in *summ. tom. 1. tract. 8. cap. 8. num. 66.* Sayrum in *Clau. Regia. lib. 12. c. 2. num. 16.* Gratium *part. 2. lib. 2. c. 8. num. 16.* Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 1. c. 4.* & alios penes ipsum. Imò aliqui, quos ego citauit in *part. 4. tract. 4. resolut. 70.* hoc etiam docet in iuramento promissorio, quia si homo sub peccato mortali tenetur iurare, vt sit veritas in iuramento assertorio, idque ideo ne Deum faciat testem falsi; ergo sub eadem obligatione tenetur curare vt etiam in promissorio sit veritas; solum est differentia, quod veritas iuramenti assertorii debeat esse presens, & si speculatiua, veritas promissorii sit futura pendens ab iplo iurante; sed hæc diuersitas non facit, vt ipse non tenetur pari modo procurare, esseque sollicitus, vt verum sit quod iurauit. Item iuramentum respicit materiam non quatenus est magni, vel parui momenti, multum, vel parum vtilis homini, sed quatenus vera; ergo ex magnitudine, vel paruitate materiae non debet indicari eius obligatio, sed ex veritate: atque omnes veritates sunt eiusdem rationis in ordine ad testimonium diuinum, eiusdem enim rationis est in re parua, & in re magna falsum testari: ergo eiusdem rationis est in re magna, & in parua Deum testem falsi facere, ergo, &c. Sed ibi cum pluribus Doctoribus satis firmam contrariam sententiam esse probabilem, & tutam in praxi, nempe in iuramento promissorio dari paruitatem materiae; & ratio est, quia obligatio iuramenti promissorii

promissorij & stimanda est secundum qualitatem materiae: ergo secundum quod illa magna, vel parua fuerit, talis erit & obligatio. Antecedens probatur, quando enim materia iuramenti promissorij est mala etiam venialiter, nulla est obligatio illud implendi. ergo obligatio non habet se independentem à qualitate materiae promissae & propterea sicut nullum est peccatum non implere iuramentum de re mala, ita solum erit veniale, si fuerit de re quidem bona, sed leui. Confirmatur. In aliis peccatis plerumque habetur ratio leuitatis materiae; igitur & in hoc. Smiliter si dicas posse concludi, quod & in assertorio periurio habenda sit ratio leuitatis materiae, negandum est, etsi enim res quae iuratur, fortasse parua sit, non tamen est paruum confirmare mendacium iuramento, quia sic Deus inducitur testis falsitatis, quod non potest non esse magnum. Et ideo, vt dixi, vtramque sententiam probabilem esse puto, & Doctores vtramque tuentes, inuenies apud me ipsum loco cit. ne deseras videre Escobar, qui doctè, vt simpliciter solet, hoc dubium pertractat in tract. de purit. & nobil. probentia, part. 1. q. 6. §. 5. à n. 40.

RESOL. IX.

An in Voto, & Iuramento non bibendi vinum detur paruitas materiae? Et quid est dicendum, si votum fiat ieiunandi cum pane, & aqua; an sit culpa mortalis semel bibere vinum? Ex p. 5. tr. 5. Res. 37.

§. 1. Casus est practicabilis, & quibusdam visa est res leuis, & ita venialis in tali casu semel bibere. Sed contrarium alij docent, quia obligat inftar praeccepti Ecclesiae de abstinentia ab aliquo esu, cuius transgressio est mortalis semel vescendo; vt semel comedendo carnes die vitata. Id tamen fatendum est, non quacumque vini potari quantitate esse mortale, sed illius paruitatem excludere à mortali. Videtur verò requiri ad mortale tantum vini potari, quantum in vno prandio sufficere posset pro potu communiter vtentibus temperate vino. At si esset votum ieiunandi cum pane & aqua, manifestior culpa mortalis esset semel bibere, quia frangeretur id ieiunium, & haec docet Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 12. n. 21.

RESOL. X.

An in voto detur paruitas materiae? Ex p. 3. tr. 5. Res. 36.

§. 1. Duplex est sententia, prior distinguit, si materia parua est partialis, est veniale, vt si quis vouit recitare calculos virgineos, & omittit vnam, vel alteram salutationem Angelicam. At si est totalis materia erit semper mortale, vt si quis vouit recitare semel orationem Angelicam, & non recitat. Ducitur, quia transgressio totius voti habet rationem actus perfecti, & contra excellentissimam Religionis virtutem, cum tamen peccatum veniale sit quid imperfectum. Secunda, quia materia parua dicitur respectu totius, cuius est pars, ergo quoties fuerit totalis, est magna. Hanc sustinent Caiet. 2. 2. qu. 89. art. 7. dub. 1. Armilla ver. iuramentum, n. 12. Tabiena ver. iurare, qu. 10. Nauarr. sum. Hispana c. 12. n. 40. Toledo lib. 4. sum. c. 17. n. 20. & appellat tuiorem Corduba in summa qu. 188.

2. Sed ego absolute docco, etsi materia parua sit totalis transgressionem, voti esse veniale tantum, & probatur, quia promissio rei leuis facta homini non obligat ad sui obseruationem sub peccato mortali, quamuis ipsa res leuis sit tota materia promissionis et

Tom. VII.

go nec facta Deo. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur; nam Deus non est regidor exactor suarum promissionum, quam homo. Item materia illius voti quomodocumque sumatur, est res leuis ergo votum de ea omisum tantum obligat ad veniale; & confirmatur: grauitas peccati non est sumenda ex quantitate & necessitate obiecti, vt constat in omnibus praecceptis, si loquamur de grauitate quam habet actus ex natura sua, v. g. in furto grauitas peccati non sumitur ex voluntate furantis, sed ex re ipsa, de qua furtum est. Nam si res furata est grauis, quamuis latro nolit, erit peccatum mortale, & si est leuis, erit veniale. Sed quando votum fit de re leui, ipsa se est parua materiae fidelitatis & religionis; ergo tale votum violare ex se non erit peccatum mortale. Vltimo votum est quaedam lex hominis quam quisque sibi ponit ex propria voluntate, ergo non aliter debet obligare, quam si esset lex Ecclesiastica, vel Diuina, sed lex Diuina & Ecclesiastica, etiamsi ex genere suo obligent ad sui obseruationem sub reatu mortalis culpa, nihilominus frangere illas in re leui est tantum peccatum veniale, ergo similiter & votum. Et ita hanc sententiam docet Ledesma in sum. tom. 2. tr. 1. c. 3. dub. 1. Henriquez lib. 5. c. 20. n. 4. in glessa lit. M. cum Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. c. 12. n. 5.

RESOL. XI.

An in eodem die violare plura vota, de materia leui sit peccatum mortale; siue materiae sint eiusdem rationis, siue diuersae? Ex p. 5. tr. 5. Res. 55.

§. 1. Afirmat Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. c. 4. num. 16. existimat enim materias leues votorum multiplicium pro eodem die obligantium continuari moraliter, & in vnam coalescere, ac proinde culpam esse lethalem omittit notabilem quantitatem illo die, siue materiae sit eiusdem rationis, siue diuersae, vt si alterum votum sit recitandi, alterum elemosynae. Ducor quod etsi diuersa numero sint vota, ad obligatio voti vnus rationis est, & eadem ratione ad Religionis virtutem spectat, eiusque praecceptum quod in re notabili tunc violatur. Sicut qui homini promitteret magnam pecuniae quantitatem diuersis promissionibus, vel diuersa obsequia, singulis tamen vicibus quid modicum, peccaret mortaliter non implens in notabili quantitate, perinde ac si vnica promissione rem notabilem pollicitus non staret promissis. Quia omnes illae promissiones numero diuersae pertinent ad eandem iustitiae obligationem, nec est simile de diuersis illis praecceptis in festo concurrentibus, quia cum diuersae omnino rationis sint, non possunt materiae continuari, nec est idem in casu quem numero praecedenti tetigi, quando votum rei modicae est in diei honorem, ac propositum est semper illud omittendi, quia votum numquam coniunctim obligat ad totam illam propositi materiam, eo quod materiae modicae nunquam in eandem diem, idemve tempus confluant, sed transacta die quaelibet cessat, & ideo cum propositum feratur in illam, vt ex voto debitam, at ex hoc tantum debeatur pro singulis diebus, & semper sub veniali, propositum non fertur in materiam grauem. At in nostro casu materia illa grauis ex diuersis votis confluens eadem die obligat, ergo, &c.

2. Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, & ita colligitur ex Suarez de Relig. lib. 5. de votis, cap. 5. num. 11. & 12 vbi affirmat, si promissisti singulis horis eleuare mentem ad Deum, vel quoties Missam audires nihil leue ex illa omittit, etsi toto die non eleuares mentem ad Deum, & in pluribus Missis leue quid omitteres, numquam te peccaturum mortaliter,

Sup. hoc supra in tr. 3. Res. 2. §. 1. in fine, & seq.

Sup. hoc ex doctrina §. Sed quid ref. annot. praec.

